



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm  
Passionvm, Prauorumque affectuum**

**Fazio, Giulio**

**Köln, 1604**

De Indifferentia circa nostra domicilia. XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

*De Indifferentia circa nostra domicilia.*

**P**rimum itaque dico, Religiosum circa loca in quibus ei fuerit commorandum ob ipsius bonum, tum ab aliorum exemplum indifferenter omnino esse debere. Si enim sincerè originem defectus huius indifferentiæ inuestigare velimus, inueniemus eam ordinariè aut ab infirmitate animi, aut corporis, aut vtriusque provenire. Ab infirmitate animi quidem: quia facile accidere potest, ut si quis sentiat aliquid quam animi inquietudinem, ex quadam sua immortificatione & miseria ortam, amore proprio nondum sufficienter in se mortificato persuasus, huius inquietudinis originem non ut deberet, cognoscat, nec suis attribuat passionibus, sed causis quibusdam externis loci illius, ubi habitat, aut etiam personarum quibuscum habitat: Quapropter cum hanc suam infirmitatem usu mortificationis curare deberet, locorum mutatione importunè à superioribus flagitata, sanare tentat. Et sicut homo ad curandum grauem stomachi dolorem, quem patitur mutando sæpè locum aut lectum, frustra laboraret: Ita iste, dum secum, quocumque vadit, causam suæ inquietudinis, quæ est passionum immortificatio, circum-

DE MORTIFICAT. 137

um ferat, poterit quidem ex loci nouitate  
 quod sentire leuamen, minimè tamen  
 uturnum: quia vera causa morbi, quam  
 in seipso habet, non est ablata, sed pri-  
 uas vires retinet. Quo fit, vt eadem  
 de causa, qua prius, nouam rursus lo-  
 cationem postulare compellatur,  
 que si non fuerit concessa, intolerabi-  
 lis euadit: si verò & hæc fuerit conces-  
 sa, perpetuo, & magno tum ipsius quie-  
 tis quam quærit, & locorum etiam, vbi  
 morabitur, præiudicio, circumibit vaga-  
 bandus.

De his S. Basilius diuinè scribit his ver-  
 bis: Illi deuitandi sunt, qui instabiles idem  
 locum demutant: & modò ad hos, modò  
 ad illos fratres se conferunt; & irrequieto acti-  
 u, se in circumlustrandis assidue Mona-  
 chis occupant. Horum volucris animus con-  
 tinenter flabris veluti quibusdam pulsatur, ho-  
 rum consilia similia vespertilionum volatibus  
 sunt. Quippe qui in directum nunquam ferun-  
 tur, sed tortuoso, & incerto maxime volatu  
 hinc, illucque temerè pererrant ac circumuagā-  
 tur. Hæc S. Basilius.

Beatus ite Climachus in eandem sen-  
 tentiam de istis loquens, ita scribit: Qui  
 proni ac faciles ad migrationem, mutationem  
 que locorum sunt, improbi omnino indicantur,  
 nihil que ita boni operis fructus consuevit obtin-  
 dere,

D. Basl.  
 in Consti.  
 tut. Mo-  
 nast. c. 8.

D. Clim.  
 de obed.  
 grad. 4.

dere, ut locorum crebra mutatio. Et merito quidem, quandoque enim non ex obedientiae iussu, sed propria voluntate tales mutationes frequentantur, non sine graui dispendio fructus nostrorum bonorum operum, manifesto autem indicio exiguae virtutis, fiunt. Talis enim homo, qui pedem certo loco figere non consuevit, inconstantis etiam animi præbet argumentum. Et quemadmodum,

*D. Basil.*  
*in Consti-*  
*tut. Mo-*  
*uast. c. 7.*

ut D. Basilius ait: *Animi sedatio virtutum est argumentum certissimum*, ita haud temerè dici potest, animi inquietudinem e contrario esse virtutis tenuis argumentum certissimum. Et quod peius est, tales exiguam valde præbent spem emendationis, dum in hoc errore versantur; quo inquietudinis causam alijs tribuunt, que plerumque in ipsis residet. Dum enim in alijs,

*Cassian.*  
*de Instit.*  
*l. 8. c. 15.*

inquit Cassianus, *erroris nostri veritatem causas, nunquam ad patientiae ac perfectionis calcem valebimus peruenire*. Idcirco idem Cassianus caput insequens ita concludit: *Summa igitur emendationis ac tranquillitatis nostrae non est in alterius arbitrio collocanda, quod nequaquam nostrae subiacet potestati, sed in nostra potius ditione consistit*. Radix ergo & origo ipsa huius morbi curanda est, que est immortificatio, & animi inconstantia, & tranquillitate & quiete Religioso ho-

DE MORTIFICAT. 139

summe necessaria gaudere velimus.  
complectenda nobis igitur quies est, ait, S. Ba-  
silus: & in suo cuique assignato ad habitan-  
do loco, fortiter perdurandum, qui videlicet,  
hoc ipso animi sui stabilitatem testatam fa-  
ciat.

Si verò hæc locorum mutatio, quæ pro-  
ceditur, ex infirmitate corporis pro-  
cedit, cui non raro, cœli mutatione me-  
dicina fieri consuevit; tamen hoc etiam  
casu plurimi solent interuenire errores &  
illusiones. Nam si ad talem mutationem  
naturali quodam & priuato moueamur  
effectu, inclinatione videlicet illa natu-  
rali, quam habemus ad conseruationem  
nostram: dico, mutationem talem, si  
cum anxietate quadam ac nimia sollicitu-  
dine procuretur, vt facile fieri potest,  
raro aut ferè nunquam sine culpa aliqua,  
& manifesto indicio proprij amoris fieri  
posse: *Sui ipsius causa sollicitum esse*, inquit S.  
Basilus, *hoc crimen est hominis seipsum a-*  
*mantis.* Tuncque potissimum, quando cõ-  
vique ventum est, vt Religiosus iam non  
sit contentus propter valetudinem, vnum  
aut alterum eius provinciarum mutare lo-  
cum, sed ad prouinciarum, regnorum-  
que remotorum mutationem aspiret, vt  
 tandem aërem suo sensui conuenientem  
inuenire possit, nihil interim curans  
expem.

D. Basil.  
in Consti-  
tut. c. 7.

D. Basil.  
Reg. bre-  
uior. 292.

expensas quæ fiunt, aut deuotionem & spiritum, qui per huiusmodi vagationes facile amittitur, ac deperditur. Et, quod sine rubore dici non potest, quod multi ac potentes principes & proceres non facile ad conseruationem vitæ, à qua integra Imperia & maximi principatus pendens, hoc Religiosus affectat & procurat, qui paupertatem proficitur, qui que ex obligatione, qua tenetur aspirare ad perfectionem, magno animi sensu dicere perpetuo cum S. Paulo deberet. *Mibi viuere Christus est, & mori lucrum.*

Dixerit fortasse aliquis se, non moueri ad eiusmodi locorum mutationem, affectu quodam particulari, sed solo zelo boni communis, cui multum prodesse possit, si hoc modo suam recuperaret sanitatem. Huic respondeo, curam communis boni, earumque rerum, quæ ad ipsius valetudinem faciunt, spectare ad superiores, quibus iustè quidem proponere potest id, quod ad maius Dei seruitium, ac valetudinem suam tam corporalem quam spiritualem conseruandam, sibi iudicat conuenire: sed si hoc, magno suo merito, ac sine periculo maioris mali facere solit, magna id humilitate faciat, tali quæ indifferentia, ut promptè cupiat acceptare, magna animæ tranquillitate, tanquam de manu Dei

DE MORTIFICAT. 141

ne id, quod sibi à superioribus fuerit institutum.

Et in tali casu deberet superior id agere, quod S. Basilius monet, cum ait: *Ipse etiam vestros reliquorum fratrum, veluti charissimorum filiorum curam suscipiens, diligenter, quod eorum singulis opus sit, considerabit, & que convenire visa fuerint remedia, curatio- que, quantum potuerit, adhibebit: Id verò cum affectu ac sollicitudine Prælati preestare debet, ut ipse suos subditos prœve- niat, prospiciendo illorum necessitatibus, præcipuam verò eorū habeat curam, qui de seipsis minus sunt solliciti, tã in ijs quæ ad necessitates quietis spiritualis, quàm in ijs, quæ ad valetudinem corporalem spectant, ita, ut ipsi hoc modo, in sinum paternæ suæ charitatis omnem harum rerū sollicitudinem proicientes, solummodo ea curent, quæ ipsis ad acquirendam spiri- tualem perfectionem sunt necessaria.*

*Quia verò contrariorum eadem est discipli- na, ut inquit Philosophus, advertendū est, quod sicut reprehensione non caret, in Religioso, defectus Indifferentiæ, circa loca suorum domiciliorum, ob frequentem mutationem, quæam indiscretè prætere- re & procurare possit, ut iam dictum est: ita eandem ob causam reprehendus esset in Religioso defectus contrarius Indiff- erentiæ.*

D. Basl.  
in Consti-  
tut. c. 28.

rentiæ, si, verbi gratia, vni loco ita esse affixus, vt non eandem sentiret facilitatem & promptitudinem, si superiorum mandato, aliò migrandum esset, pollerem in tanta incommoda & pericula incidere, quanta in contrario defectu Indifferentiæ comprehendi diximus. Vt igitur hoc caput absolua, precor omnes Religiosos, vt in hac sancta Indifferentia acquirenda ita elaborent, quemadmodum rei ipsius necessitas postulat.

## CAPVT XVI.

*De Indifferentia circa exercitia, & Ministeria Religionis.*

**I**ndifferens prætere ac esse debet Dei seruus circa omnia Religionis exercitia ac ministeria, eaq; acceptare & exercere magna animi præpitudine & alacritate, quæ sibi fuerint iniuncta, non lucrum vel lum aut proprium gustum, sed solum Dei seruitium, bonumque commune spectando aut quærendo, memor dicti S. Basilij, cum ait: *Quidquid quisque ex propria voluntatis arbitrio facit, id cum facientis proprium sit, alienum est à cultu Dei. Et alio loco: Amantem sui ipsius esse quis agnoscat, si, que facit, commodi sui causa facit, licet quod fiat, ex mandato sit.*

S. Basil.  
Reg. bre-  
uior 138.  
Idem Re-  
gul. bre-  
uior. 54.

Quapropter quanto minus de nostro in glo-